


Blubwitz
De auxiliis
hosti, pree-
stis more
gentium ho-
licius hostum
non officien-
tibus.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-683419-p0002-9

DFG

Bra. 3. num. 10.

5
19
**DE
AVXILIIS HOSTI PRAESTITIS
MORE GENTIVM HODIERNO HO-
STEM NON EFFICIENTIBVS.**

DISSERTATIO,

P. 456
**QVAM
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO,
DOMINO
ADAMO OTTONI
DE VIEREK,**
POTENTISS. BORVSS. REGIS MINISTRO
STAT. INTIMO
RELIQVA,
IN PERPETVÆ SVBIECTIONIS DOCVMNTVM
OFFERVNT *HET 402*
IOANNES FRIDERICVS DE BEVLWIZ,
ET
GVILIELMVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ, AVCTOR.

**HALAE VENEDORVM,
TYPIS VIDVAE IOANNIS HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.
ANN. c^le 13cc xxxviii.**



AUZLUS HOSTI PRAESTITIS
MORE CENITALM HODIE NO HO
STI NODI THERAPYNEA
DISSERTATIO

MOTTO OMAGIA
VIRI

BORAS FIDES MINISTER

ST. ANTHONI

IN CONVENTU S. ANTHONI

TRINITATIS

DE REVERENDIS ET VENERABILIBUS

TRINITATIS

EDIDIT IOACHIMUS DE REVERENDIS ET VENERABILIBUS

TRINITATIS

EDIDIT IOACHIMUS DE REVERENDIS ET VENERABILIBUS

TRINITATIS



*S*i quaeramus, quinam fue-
rint, quorum imperium atque
uim sensit hucusque magna
Imperii Germanici pars, eos uidemus
deuastasse patriae terras, qui Augustif-
simi capitis socii nominari uoluerunt,
quique uniuerse aliena negotia in rem
quasi suam procurare non immerito

A 2 cre-

creduntur. Haud igitur adeo mirum
esse debet, si belligerantes pacem iam
reposcant, et alterutrius partis fo-
deratus in nexu solus remaneat. Qui
uero Lydium iuris Naturalis lapidem
gentium actis gestisque admouet, ne-
scio quae inaudita hucusque deprehen-
det. Suborta nobis idcirco fuit qua-
stio, quo usque progrediantur ex more
Gentium Europae hodierno sociorum
conamina, et quantum facere liceat
iis, ut ab aduersa parte pro hostibus
non habeantur. Audemus, **ILLV-**
STRISSIME atque **EXCEL-**
LENTISSIME DOMINE, no-
stras in hoc argumento meditationes,
tan-

tanquam documenta ingenuae deuotionis, qua SVMMI NOMINIS TVI EXCELLENTIAM colimus, TIBI offerre; non quidem una spe elati, inesse aliquid huic scriptioni, quod tanti Maecenatis fastigio dignum sit; sed id saltē reputantes, rem ipsam ex iis esse, quae TVI ordinis uiros perpetuo occupare soleat. Nihil ergo obesse nobis uisum est, quo minus, suffulti TVA gratia, quam non sine intimo pietatis sensu experti sumus, EXCELENTIS SIMO NOMINE TVO hanc qualēcunque lucubrationem condecoramus. Vbi praesertim innotuit nobis,

*quantum in TE praesidii inueniant,
qui Appollinis castra sequuntur. Cum
igitur minime dubitemus, supremum
Numen etiam nostris supplicationibus
subscripturum, quae TVAM peren-
nem incolunitatem semper sibi proposi-
tam habent, demisse simul inaeftima-
bilem illam TVAM benevolentiam
expetimus, TVAEque magnitudini
nos plane deuouemus.*

§. I.



§. I.

I nualuit iam more Gentium Europeae nostrae, quod olim sua natura fieri non posse uisum est: Eum nempe in hostium numero haud censendum esse, qui aduersae parti armis pecuniaque auxilium praestat. Nobilis igitur tangimus argumentum, nouam exhibens regulam, ad quam gentes Europae fere uniuersae actiones suas componunt. Nec adscribimus quidem his gentium factis aliquam iuris Gentium auctoritatem; uerum non mediocrem exemplorum uim futuram auguramur fidu-

VIII

De auxiliis hosti praefisiis,

fiduciamque sagacissimorum status administrorum, qui optime norunt, quid regnis suis maxime profit, et qua commodissime ratione illorum rebus consulere possint.

§. II.

Quanquam minime spernendae sint scholarum doctrinae de iustitia iniustitiaque actionum inter gentes, per ratiocinia ex indubitate principiis elicita; necesse tamen quoque uidetur iis, qui uitiae ciuili et usui rerum sese dicarunt, ut etiam in eas inquirant opiniones, quibus sapientissimi nostri aeui uiri in rebus maximi momenti administrandis utuntur. Qua de causa totam rem ita pertractare uisum est, ut primum hostis nomen ex mente iuris Naturae et Gentium interpretum consideremus, deinde proponamus, quantum ab eo diuersus sit is, qui foederatus est hostis, ex quo maxima huic disquisitioni accedet uis ex gentium usu gestisque.

§. III.

§. III.

Siquidem ueterum sententiam intuemur, hi certe etiam contra foederatum hostis iusta edixerunt arma. Cum tamen nunc de praesenti usu gentium Europae differendum nobis sumserimus, merito antiqua missa facimus. Contemplantes autem definitionem, quae doctribus nostri aeui constitutiua hostis in se continere uidetur, ueremur, ne paullo liberaiores hoc nomine, gentibus tam exoso, uideantur.

§. IV.

Hostis enim iis est, qui ui doloue alterius ius perfectum laedere intendit. Cum uero gentibus sit tanta insita cupiditas, nocendi sibi inuicem, Europa perpetuis bellis implicita es- set; quod quidem aliqua ex parte negari nequit, si consideremus, quomodo populi eius erga se inuicem animati sint, quidue callidis et clandestinis artibus intendant. At cum in limi-

B

ne

ne huius opusculi indicauerimus, propositum nobis esse, auctiori spatio circumscriptis, ipsis rebus gestis tantum insistere, quibus sua constat certitudo et ratio; id certe adserimus, dolum, in se consideratum, non facere hostem, nisi cum armata ui coniunctum, aut qui proximam eidem causam suppeditet. Vbi uero ui aperta inter se certant hostes, bellum uocamus; unde concludere licet, inter eos, qui do lo tantum sibi insidiantur, nullum esse bellum.

§. V.

Aliud est belli requisitum, quod primis cultoribus iuris Natur. omnino necessarium uisum est, nempe declaratio solennis (*), posterioribus tamen secus uisum fuit. Multae quidem

(*) GROTIUS de I. B. et P. Lib. III. cap. III. §. 5. seq.
HVB. de iure ciuitatis Lib. III. sect. IV. cap. IV. §. 27.
HVLD. ab EYBEN de iure belli Part. III. opuscul. p. m.
710. §. 6. aliquique plures. Sed THOMASIVS in notis ad
HVB. l. c. in contraria est sententia, quem sequuntur
recentiores.

quidem fuerunt causae, quae priores in hanc sententiam perduxerunt, satis passim explicatae. Et quamvis arbitrentur alii, iuris Nat. obligationem nihil solenne requirere, quin suadere potius, ut hostem de improviso adoriamur, omni opportunitate bellum depellendi eum, si fieri potest, intercludamus, dolo non minus, quam armis experiamur, imo clandestinis artibus interdum plus tribuamus, quam aperto Marti. Omnino quidem id iustum uidetur, si bello nihil aliud intendimus, quam ut isti, a quo hucusque iniuriam passi sumus, ea mala rependamus, quae nobis inferre conatus fuerat, ac deinde eum viribus, ulterius nocendi, priuemus. Sed alium hucusque gentibus in hac re sensum infedisse obseruamus.

§. VI.

Nempe bellum iis fuit instar iudicii diuinii, et belli euentus uoluntatem Dei aperire uisus est, qui contendentium iustum adiuuet cau-

B 2 sam,

sam, iniustum deſtituat, ſicque uictor ſimul diuinam uindictam executioni dare putabatur. Ne tamen nimis exacete hic ciuilis ordinis amuſim ſequi uideamur, notandum, a recta ratione, ſummu[m] Numen agnoscente, minime abhorre, quod orbis terrae rectoribus Deus ipſe ius reddere uideatur, a cuius potestate ſolum pendent, et quorum res humano arbitrio penitus exemtae ſunt, ut belli aleae iura illorum committi debeat. Quis igitur dubitet, quin supremus huius orbis rector in tali temporis momento ſuo ſpeciali auxilio ei genti adſit, a cuius parte ſtat iuſtitia, dummodo nihil agatur ſegnius aut remiſſius, aut aliter uideatur prouidentiae diuinae, quod humani ingenii uicem longiſſime ſupergreditur. Ita uero statuerunt gentes tam ueteris, quam recentioris aeui (*).

Sed

(*) Id quod B. Dn. cocceii in diff. *de iusto praeliorum exitu*, ex declaratione earum, bellorum euentu, et natura praeliorum egregie illuſtrauit, ut nobis nihil reli-

Sed ut appareat etiam, qua de causa diutius illi de bello solenni argumento immorati fuerimus. Non prorsus idem esse agnoscimus, si quis socii causam tuendam simpliciter suscipit, ideoque moribus gentium bellum haud gerit. In hac autem subsidiorum belli submissione non sola denuntiatio atque animus, rem iudicio diuino committendi deficit, sed plures aliae differentiae recensendae nobis ueniunt, quae inter hocce negotium, et bellum solenne intercedunt.

§. VII.

Quod quo fiat distinctius, separandum est praesens negotium ab eo, quando princeps patitur, ut siue alter belligerantium, siue uterque militem propriis sumtibus in suis prouinciis conscribat, atque pretio iusto interueniente res ad bellum instruendum pertinentes ibi com-

B 3 paret.

reliquum sit, quam insignia huius summi viri merita in quavis literarum parte suspicere et uenerari. GROT. de iure B. et P. Lib. II. cap. I. §. 3. p. m. 180. seq. in totum ciuilibus causis belli rationes exaequat.

paret. Hoc enim citra hostilitatis notam, praefertim hodie, a quibusdam gentibus fieri, nemo non uidet. Quamuis minime uel id ipsum a multis magnae auctoritatis doctoribus admittatur, aequioribus saltem res ita definienda uisa est, ne alteri parti idem denegetur, neue ei, qui legit milites, et coëmit adparatum bellum, ista subsidia ultro adducantur.

§. VIII.

Deinde nullam reprehensionem ueremur, si adseruerimus, eos, qui ante praesens bellum pactis determinatam copiarum summam socio suo submittunt, non praecise id hostili animo fecisse uideri contra eum, qui bello petitur. Hoc enim casu sola pactorum seruandorum religio in causa esse potest, ut quis militem suum in arma ire iubeat, citra directum animum alteri nocendi, qui tamen, quantum quidem nos intelligimus, unanimi consensu scriptorum requiritur in hostis definitione. Si enim is ei inesset,

esset, ampliora forsan auxilia praestanda forent, nec e contrario sperari certo poterit, determinatarum copiarum summam coeptis parem futuram, neque fieri posset, ut utrique interdum belligerantium subsidia praestarentur, quod tamen nostro aevo haud insolens ac inauditum est. Deest ergo dolus et consilium alteri damnum inferendi, quod tamen recepta hostis definitio requirit. Verum si uel maxime haec omnia secus essent, non tamen pro hoste a gentibus habetur, id quod omne momentum hic confidere uidetur, quod ipsum luculentius patet, si de postremo nunc casu egerimus, cum propositae scriptionis fine proxime coniuncto. Fruitur liberrimo commercio cum ea gente, in quam milites emittuntur; imo nonnunquam eius capiti aliquo subiectionis et fidelitatis nexu adstrictus est, quocum manifesto pugnat inimicus animus.

§. IX.

§. IX.

Denum fieri potest, ut cuidam tam ar-
etum foederis uinculum intercedat cum altero,
ut hunc, infestis signis impetum, parata pec-
cunia atque adsumis armis liberet a periculo,
cui ceteroquin succumbendum fuerat, eumque
ab omni incommodo ac detimento integrum
praestet. Atque, hoc non diffitemur, diffi-
culter a bello distingui, si ius Naturae tantum
audiamus, istaque auxilii latio uix ac ne uix
quidem ab hostilitatis nota liberatur. Interim
non omnia hic occurunt, quae in hoste requi-
runtur (*); unde differentias quasdam memo-
rabimus, quae nihilominus inter bellum ordi-
narium et hanc auxilii praestationem animad-
uertimus. Primo nulla antecedit laesio alterius
partis, unde durum esset, hostili animo in eam
ferri.

(*) Exemplio sociis hostis sui bellum indicunt FRANKEN-
STEIN in disp. de iis qui neutr. in bello partes tenent.
thes. 12. OBRECHT. diff. 12. §. 12. 13., et alii, qui ta-
men iuris naturalis rigorem sequi uidentur, non ob-
seruato, quid usus addiderit.

ferri. Deficit hic non minus, quam in superiori casu directus animus nocendi, ubi id tantum agitur, ut pactis fiat satis, eoque securius exspectari possit auxilium, quando propriis non tuto fidendum est uiribus. Exulat hic declaratio, quae, utut tacita (*) admittatur, semper tamen uera adesse debet.

§. X.

Sed quod maxime attendi meretur, expedire admodum gentes crediderunt nostris temporibus, sub foederatarum copiarum specie bella reuera gerere, et profecto non sine grauissimis causis, quas infra proponendi erit

C occasio.

(*) Neque tamen ea etiam nostris temporibus contentae fuerunt gentes, quamvis nonnunquam in ipsa expeditione expressam facere soleant. De nouissimo bello Gallico eam exhibet ROVSSET Tom. IX. et quidem Galliae regis de ann. 1733. 10. mens. Octob. p. 279. et Imperatoris et Imperii p. 337.

occasio. Quoties ergo populus hac ratione populum aggressus fuerit, de se tantum queretur, si eodem modo uis ui repellatur; et socius eius principis, cui exitium minatus erat, pari ratione causam foederis interferens, iterum hunc pari ratione uim armorum sentire faciat. Vti enim summa est gentium inter se aequalitas, ita pari iure omnes inter se utensur. Et sane omnes fere gentes inter se hac lege agere cooperunt, ergo etiam inter omnes haec aequalitatis ratio erit seruanda. Longum quidem foret, enarrare, quo singula regna tempore, quaue occasione hoc modo aliis foederis specie auxilio fuerint, ita, ut non aperte nouas inimicitias suscipere uisa sint, quaedam tamen exempla deinceps allegare non incommodum erit, ubi de origine seu potius frequentiori usu huius instituti agendum.

§. XI.

§. XI.

Si ius uiolandum , regni causa uiolandum esse credidere principes , qui propriam felicitatem ac magnitudinem omnibus aliis considerationibus anteposuerunt : quid ergo mirandum , quod populi liberi hac in re , utilitatis causa , quae semper iusti et aequi mater esse solet , aliquantum discesserint a iure , quod uocant , permissuo , seu facultate , uel sic , uel aliter agendi inter se , quod facere impune potuerunt . Non autem sine singulari commodo eo perduci sunt populi , ut foederatum , pactorum tantum fidem interferentes , tuerentur , ac proprium odium erga eiusdem hostem foederati amicitia contegerent .

§. XII.

Primum , obtento fine , nempe ut reprimant iniuisam alterius potentiam , atque socio opem ferant , dulci pacis otio ipsi interea fru-

C 2 untur,

untur, rebus suis imposterum prospiciunt, periculum auertunt sine praesentis discriminis metu. Positam sibi habent ante oculos generalem ciuilis prudentiae regulam: *Colendum esse cum aliis, quamdiu fieri potest, amicitiam.* Neque cuiquam mirum videbitur, quod saluam pronuntiemus amicitiam, ubi alterius conatibus ui armata obuiam itur. Quis enim ignorat, quanta sit gentibus inter se necessitudo? quam simulatam esse non magnopere inficiamur, cum proprii commodi cupiditas omnes actiones, sicut anima corpus regat; parum ergo refert, si etiam ad hunc casum simulata gentium erga se benevolentia extendatur.

§. XIII.

Enimuero si quaevis auxilii latio principes Europae bello implicaret, Iani templum non saepius apud nos quam olim Romae clauderetur. Ex quo enim hi tanta sollicitudine
rebus

rebus suis atque saluti prospicere coeperunt, ut uel solus crescentis potentiae metus iustum belli causam hodie praebeat (*), sane aeternum in hoc terrarum orbe ferueret bellum. Videmus certe omnes Europae populos hac prouidentia usos fuisse. Sic Gallia (**) ob hanc causam Hispanorum et Austriacorum potentiae continuo infesta fuit. Ut taceamus, quae in Angliae, Sueciae, Hollandiae aliarumque rerum publicarum historia hac de re passim occurrunt. (***)

C 3

§. XIV.

(*) Quod B. GUNDLING. inter alios singulari disquisitione magis tamen ex facto, quam iure in se considerato illustrauit, in Gundlingianis Part. V. num. I.

(**) Quae prima aequilibrii Europae sub HENRICO IV., auctore Angliae regina ELISABETHA, mentionem fecit, teste Illustr. Dn. SCHMAVS. in der Einleitung zur Staats-Wissenschaft Part. I. p. 53.

(***) Quod non minori eruditione, quam elegantia exposuit Ill. Dn. GLAFEY in dem Rechte der Vernunft Lib. VI. p. 31. §. 62. usque ad p. 56. §. 98.

§. XIV.

Misera futura esset Europae conditio, si perpetuis huiusmodi dissidiis agitata, omnibus iis bonis careret, quae mutua gentium commercia, per apertum bellum omnino sublata, generi humano praestant. Liberae quidem respublicae, licet summae sibi gloriae ducant, quod a nullius nutu atque legibus pendeant, non tamen inficiantur, suam felicitatem nulla re magis promoueri, quam mutua communicatione bonorum, quibus quaeque earum abundant. Ab omni tamen inuidia is immunis non erit, qui alium foederati tantum causa bello lacef sit, et iniuriam sibi non illatam ulciscitur. Interim etiam ad hanc causam simulata foederis ratio extendi consuevit.

§. XV.

Demum bellum pacis redimendae gratia suscipitur, idque non tantum quaerunt ipsi inter-

ter quos bellum intercedit, sed etiam spectatores certaminum huiusmodi, quam primum fieri potest, tollere ea student, qui non sine summa ratione conciliatorum sibi partes sumunt, eoque facto utrique parti suam amicitiam probant. Nemo autem in gratiam reducere mutuos hostes potest, qui ipse hostis fuit. Foederatum interim hostis nostris moribus a pacis conciliatione necquidquam excludi et arceri videmus, quod hostilitatis respectum ab eo manifeste separat atque discernit. Legatorum, qui perpetuo in aula principis commorantur, maximus in hoc negotio usus est, qui abunde sumtus legationis pensat.

§. XVI.

At nemo diutius amicitiam retinere pacemque colere potest, quam altera pars uoluerit, nec minus licet ei de bello cogitare, qui belli subsidia adferre coepit foederato, quam ei

ei, aduersus quem attulit. Mirum ergo uidebitur, quare hic ut plurimum sibi prodesse ducat, foederatum hostis non pro hoste habere laruumue ei detrahere. Iterum autem plures rationes illum eo adducere uidentur; quarum aliae iam propositae ad ipsum hostis foederatum pertinent, aliae ad eum, cui intentatur bellum. Inter illas merito refertur, quod commercia salua interim maneant, animus aggressoris sub persona foederati aduersae partis non in totum ab eo alienetur, et quae sunt alia. His recte accensetur, quod foederatus hostis non ubique arma mouere possit, sed iunctis duntaxat cum uero hoste uno eodemque loco uiribus et agminibus contendat, quod adhuc sollicite seruari obseruamus. Quanto autem fortunae beneficio ille utatur, qui non in multis locis simul aduersarii impetum sustinere cogitur, isti norunt, qui anteriora facta memoria sic recolunt, ut idoneam euentis causam,
fatis

fatis regnorum ueram iustumque originem tribuant, quaeque uniuersalia in iis sunt, cuius simili casui prouide admetiantur. Fuere quidem reges, qui uel proprio affectu, uel subditorum rabie commoti, bellum etiam foederato hostis denuntiarunt; idque uel hodie cuique integrum est; quin plerisque bellis, ubi primo aduersus proprium hostem pugnatum est, uidere licet, apertas inde simultates in foederatum hostilem facile recidisse. Sed hoc facto haud dubie iis commodis destituuntur, quae attigimus hucusque.

§. XVII.

Obstare quidem uidetur, quod uictori liberum sit, utri hostium satisfactionem extorquere uelit, quam nonnis a uero hoste honeste requirere posse uidetur, si bellum non fuerit etiam cum eius foederato. Eamque causam

D

sam

sam fuisse constat, cur rex aliquis, graui offens-
sa exasperatus, imperium nostrum bello lacessi-
uerit, ut ab eodem iniuriae aliunde illatae re-
parationem consequeretur. Sed huic dubio
commode opponi potest, quod ea hodie prin-
cipum nostrorum indeoles sit, ex uariis exem-
plis elucens, ut alter saepenumero poenam in-
currat, meritam ab altero. Vbicunque enim
succumbet is, qui inferior viribus est, siue ipse
sese bello immiscuerit, siue ab omni ut abisti-
nuerit.

§. XVIII.

Exposuimus iam, quae inciderunt nobis
de auxiliis hosti latis, hostem non efficientibus.
Id quod iuri Naturali in se considerato non
omnino respondere confitemur. Adiecimus
causas, ob quas hic mos gentibus sese probasse
uidetur. Siue ergo auxilia a foederato praesi-
stita,

more Gentium hodierno hostem non efficientibus. XXVII

stata, siue bellum sociale, siue foederis initi ex-aetam fidem, siue bellum minus solenne, siue certamen nostris temporibus, callidissimis omnino, proprium uocare lubeat, nostra pa-rum refert.

§. XIX.

Sed fidei datae memores addimus adhuc, quo forsan tempore huius moris exstantior usus esse cooperit. Evidem olim, ubi singula ex effectu iudicabantur, huius rei poene nullum reperimus uestigium; uerum recentiori aeuo rei eidem diuersae prorsus attributae sunt affe-tiones. Fatemur quidem promissi religio-nem, et propriam incolumitatem semper exe-gisse, ut sanguine, necessitudine et foedere iuncti contra intentatam uim defenderentur; quin ultro largimur, factum nonnunquam esse, ut is, cuius conatus aduersus foederatum resi-sti oportuit, nihil in eo hostile praesumserit,

D 2 interim

interim semper obseruamus, hoc tunc factum,
ubi aduersarius ignorauit, quanto molimine
eius ausis obuiam eatur.

§. XX.

Verum enim uero saeculo XVI., ni fallimur, eius rei illustria exempla occurunt, quae breuiter perstringere iuuat. Non enim in hoc argumento eo consilio uersamur, ut res gestas illustremus, sed tantum tralatitia ad praesentem thesin applicemus. Evidem CAROLVS I. Hispaniae rex, suis rebus non satis in isto regno fisis, 1516. Nouioduni cum FRANCISCO I. Gall. Rege his conditionibus pactus est, ut inter alia Galliae regi liceret IOANNI ALBRETANO regnum Nauarrai, ab Hispanis ademtum, armis restituere, ita quidem, ut haec armata auxilia, foederato praestita, pacem haud rumpere uiderentur. Qua in re obseruamus expressa

mores Gentium hodierno hostem non efficientibus. XXIX

pressa pacta id sanciuissé, quod postea tacite et
ipso usú alibi etiam inualuit.

§. XXI.

Postquam uero potentia Hispanica, sub
CAROLO V. metum omnibus iniiciens, finiti-
misque quodammodo fata dispensans, sub filio
eius PHILIPPO in debiliorem statum recidere
inciperet, ut per indirectum etiam ei noceri
posse crederent gentes, maiorem huius rei
usum esse reperimus. Et quidem cum Galliae
tum Angliae regna Belgis primum teſte ita
opem ferebant, ut praesertim ELISABETHA,
Angliae regina, ab anno 1577. ad 1588. pecu-
nia et armis Belgii ordinibus subueniret, usque
dum aperto utrimque Marte pugnaretur.
Vicissim PHILIPPVS, probe perspiciens ten-
tamenta uicinorum praepotentium, intestina
Galliae bella alebat, et Hiberniae, aduersus

D 3 Angliam

Angliam rebelli, opitulabatur; donec ardens
uindicta ad capienda consilia talia eum abripe-
ret, quae utriusque regni euersionem pree-
ferebant.

§. XXII.

Superiori saeculo Imperator FERDINA-
DV S II. haud satis praestitisse sibi uidebatur re-
ligioni Romano-Catholicae, si ei solam Germa-
niam redderet, quam ob rem Poloniae regi,
cuius inclinatae poene erant res, exercitum
multorum millium submisit, aduersus Sueciae
Regem, foederis et necessitudinis obtentu (*),
qui tamen pacem certe tum cum Imperio cole-
bat. Quam moleste hoc tulerit Suecorum he-
ros memorare nihil attinet, dummodo nota-
ueri-

(*) Legi merentur hac de re literae Electorum, ad Re-
gem GUSTAVVM ADOLPHVM scriptae, ex senten-
tia Imperatoris apud KEVENHILL. in Annal. Ferd.
Tom. XI. p. 1162.

uerimus, non minimam hanc fuisse causam, quare deinceps Imperatoris FERDINANDI potentiam tanto impetu fregerit domi, adeo, ut non sine ratione dici possit, catholicam religionem tot illustribus Episcopatibus saeculo addictis pacem, in suam utilitatem fractam, in fine redemisse a Suecis.

§. XXIII.

Hausisse haec sufficiat ex uasto rerum gestarum pelago, quae tamen satis probare possunt, morem hunc gentium haud ita diu excogitatum, et magis magisque exultum esse. Nostrae aetatis gesta addere super sedemus, ubi omnia iuris gentium axiomata summam attigisse uidentur subtilitatem. Si tamen prisca exempla cum recentissimis contendamus, harilamur fere, aperta adhuc bella inter eos, qui mitiori specie hucusque inter se pugnarunt, se-

cutura

XXXII *De auxiliis hosti praeſtitis, more Gentium etc.*

cutura esse, quibus demum, tanquam uehementissimo morbo, noxia omnis discordiarum materia expellatur. Quanquam etiam D. O. M. benignitas et clementia rem breui tempore eo deducere possit, ut, qui ad rerumpublicarum gubernacula sedent, abiectis armis sanguini parcant, et belli calamitatibus exhaustos exoptata pace recreent atque consolentur.

T A N T V M .



ULB Halle
005 712 440

3



AVXILI
MORE G
STI

P. 456
ILLVSTI

ADA

DE
POTENT

IN P

IOANN

GVILIELMVS

TYPIS VIDVAE

Farbkarte #13



3. num. 10.

ESTITIS
RNO HO-
BVS.

XCELLEN-

TONI

K,

MINISTRO

NTVM

VLWIZ,

IZ, AVCTOR.

ACAD. TYPOGR

KONINKLIJKE
UNIVERS.
ZYLLAH